

**Exercitatio anatomica de monstro humano nupero ... / sub umbone J.D. Dorstenii.**

**Contributors**

Lombard, Karl Philipp, active 1682-1688.  
Dorsten, Johann Daniel, 1643-1706.  
Philipps-Universität Marburg.

**Publication/Creation**

Marburgi Cattorum : Typis Joannis Henrici Stockenii, [1684]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mjvgz9ty>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



EXERCITATIO ANATOMICA  
DE  
MONSTRO  
HUMANO NUPERO,

*Quam,*

Divinâ annuente gratiâ

SUB UMBONE

JOHANN. DANIELIS  
DORSTENII,

Medic. Doctoris & Professoris Ordinarii  
ut & Academici curiosi,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni exponet*

CAROLUS PHILIPPUS  
LOMBARDIUS,

MARBURGENSIS HASSUS,

*Ad diem Maji in Auditorio Medico horis consuetis  
Anno 1684.*

*Marburgi Cattorum Puplicati*

Typis JOANNIS HENRICI STOCKENII.



V I R O  
 NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
 atq; EXPERIENTISSIMO  
 DOMINO  
 OH. JACOB C  
 Waldschmied/

SERENISSIMÆ DOMU  
 HASSIACÆ CASSELLANÆ  
 ARCHIATRO FAMIGERATISSIMO  
 MEDIC. DOCTORI PRIMARIO, nec no  
 PHYSICES PROFESSORI ORDINARIO  
 CELEBERRIMO. LEOPOLDINÆ SOCIETATI  
 COLLEGÆ DIGNISSIMO, PRÆCEPTORI,  
 PATRONO atque PROMOTORI  
 SUO ÆTERNUM VENE-  
 RANDO.

*Dissertationem hanc Medicam devotissimè sacrum esse  
 jubet, & in humilimæ observationis monumentum  
 studiorumq; suorum commendationem*

*humilimè offert ac consecrat*

CAROLUS PHILIPPUS LOMBARDIUS





Σὺν Θεῷ.

§. I.



Ræter naturæ consue-  
tum quæ obtingunt or-  
dinem, non solum spe-  
ctaculi novitate sanctio-  
ris illius animalis, subli-  
me cui natura os dedit, in  
sui admirationem rapi-  
unt mentem, conter-  
rentque; Verùm etiam eventus futuri dubiam  
pertimescere faciunt; fors seu natura, an fatum  
& ira Dei sint dicenda; quoniam hæc ipsa con-  
tingunt rarissimè, eaque cum contingunt, rem  
subinde malam portendunt. Franc. Sylv.  
Comm. in Orat. Cicer. pro Sexto Rosc. unde  
Tacitus A. 15. 47. vocat prodigia imminentium  
malorum nuntia & H. 1. 86. sæpissimè sunt im-  
minentium cladium indicia. Imò cognitum,  
crebris prodigiis mutationem rerum in deteri-  
us portendi: Exemplamulta, multis in locis, re-  
censent Livius, Tacitus A. 1. 12. 64. Valer. Max.  
uterque, libr. de prodigiis: Et Commodi impe-



rio publicè & privatim facta Script. in Hist. August. l. p. 515. tradunt.

§. 2.

**V**eruntamē, ne quid dissimulare videar, crebra & irrita nonnunquam intercessere, Tacit. A. 14. 12. adeo quē, non omnia, quemadmodum apud imperitos & simplices prodigii loco accipienda, idem H. 4. 26. Vin' Exempla? Leoty chidas Spart. Dux, cū propioris se portæ pessulo Draco circumplicasset, & ostentum hoc esse, Vates dicerent: Non sanè, inquit, hoc mihi videtur: Verum esset, si pessulus circa anguem sePLICasset. Plut. in Lac: Similiter, cū nonnemo manè experrectus arrosas à muribus reperisset caligas, turbatusque, hoc ostento, Cratonē, quid mali portenderet? rogaret; Non est, inquit ille, ostentum, quòd forices arroserint caligas, ast, si caligæ arroserint forices, id demum fuisset portenti loco habendum.

§. 3.

**I**nter illa autem, quæ pro prodigiis habenda, occurrunt cū maximè horrida ista apud Lucan. lib. 1. 561. Virgilium 1. Georg. ubi boves locuti pecudesque, ut & Livium 41. 13. & 35. 21. quando bos locutus *Roma*, *carve tibi*; nec non lacte, sanguine & lapidibus pluit; Fax in cœlo conspe-



conſpecta; Stella crinita viſa &c. tum deformi-  
tas atque multitudo prolium; dum v. g. agnus  
alius cum ſuillo prognatus capite; alius cum  
duobus vitam ingreſſus capitibus; aſinus triceps  
ex materna egreſſus alvo; capra ſex uno partu  
enixa hædos; puer progenitus biceps; ſine ma-  
nibus alter ac pedibus è matris effuſus utero; ſi-  
ne oculis quidam & naſo cœli prodiens ſub au-  
ras; unimanus alius enatus, puella cum denti-  
bus edita; infans incertus utero expulſus maſcu-  
lus an fœmina; ſimiliaque plura apud Liv. hinc  
inde, Valer. Max. Jul. Obſeq. Schott. Licet. Va-  
ler. Max. Chriſtian. &c.

§. 4.

**N**Eque, retrò tantū ſeculis frequentia Impe-  
ratoribus fuere prodigia ac oſtenta, nunc  
fauſta ( ut Mithridates Maximus Ponti Rex, qui  
66. annis bellavit cum Romanis, Cyzicum cum  
oppugnaret, advertit ) nunc funeſta ( ſicu-  
ti Pompejus, dum adverſus Cæſarem, cū  
invitatis gentibus amicis inſtrueret aciem, à  
Dyrrhachio venientibus, adverſa fuiſſe fulmi-  
na, expertus ) ſed & noſtro hoc bellicoſo pericu-  
loſoque ſeculo crebra hætenus viſa ſunt prodi-  
gia, oſtenta ac monſtra aliis fauſta, calamitoſa  
aliis; Partus nempe monſtroſi, quales Welſch/



**Schmucken** Fasciculus admirandorum naturæ exhibet. Cometæ item, irides inversæ, igniti globi proximis hinc visi annis, non certè Leopoldo nostro, sed jurato Christianismi Hosti, hujusque imprimis Archistratego Kuperlugli, calamitosi: Licèt enim horribilis iste Turcicarum legionum Goliathus stupendâ militum turbâ in Viennam Austriæ, totiusque S. Imperii acropolin horrendum sæviret, invictissimus eam Imperator nihilominus victricem retinuit, ast in Muhamedica castra coelum quasi ruere, ignes pluere, arma excutere, signa prostertere, militem terrore panico occupare, fugare, exanimare, ceu de Pompeji castris Romæ recenset Obsequens; Milites certè nostri Kuperlugli illius non spolia modò amplissima reportarunt, sed monstrum hoc unco traxissent, nî pedibus ejus timor alas addidisset, paulo post strangulandi jussu Muhamedis quarti. Quam insignem victoriam, cælitùs profectò missam, nec augustæ illi ejusdem Urbis liberationi, quæ anno 1529. mense Octobri contigit, post habendam, gratâ oportet ubique mente recoli.

§. 5.

**S**Ed in callem! Inter frequentiorâ illa naturæ miranda, monstrum quoque humanum  
 pridie



pridie Nonas Februas labentis 1684 anni in pago  
 vicino *Marbach* (an *Marckbach*? cujus cogno-  
 men & Marburgo nostro contigisse videtur) à  
 parentibus honestis nono mense, muliere parvâ  
 gracilique, forte seu fato natum (quod dirime-  
 re nostrum non est) referendum; quod in thea-  
 tro nostro Anatomico ex clementissimo Sere-  
 nissimi nostri indultu, cultro examinavimus:  
 Gemellæ erant fœminei sexus, duplici, adversâ  
 fronte, capite; sinistro existente paululum mi-  
 nore dextro, ut figur. i. lit. *a.* exhibet, duplici  
 quoque ut collo sic pectore; unico tamen ab-  
 domine umbilicotenus; lit. *c.* (tumidiorem coa-  
 lescentis abdominis figuram, nimisque cycli-  
 cam Chalcographus formavit, jamdum enim  
 flaccescebat, velut & collapsæ partes reliquæ  
 subsidebant, ) ut autem bifidus appareret, in  
 simplicem tamen funiculum definebat; gemi-  
 nis porrò genitalibus, quaternis brachiis æqua-  
 libus, quaternis quoque pedibus, sed inæqua-  
 libus, dextro dextræ, versaque vice sinistro si-  
 nistræ puellæ gracilioribus existentibus atque  
 curtioribus; vid. fig. i. lit. *e.* ut autem superiores  
 ventres, erant adversi, ita eodem situ ex adverso  
 etiam locabantur reliqua, quotquot gemina  
 exisiebant, membra. Hæc exterior erat forma,  
 haud



haud multū abfimilis, ut conjicio, genituræ isti  
monstrosæ in agro Gieffenfi circa idem tempus,  
quod horridum auditu, natæ; sicuti certiore  
me per literas fecit Dn. Valentini, Academiae  
Curiosorum Collega meritissimus. Similem  
quoque habet *Schmuck* Fascic. admir. natur.  
pag. 4. num. 2. Licet. lib. 2. pag. 80.

§. 6.

**A** Diffectione repertum in abdomine unicū  
hepar, duplici tamen vesiculâ fellea vid. fig. 3  
l. p. p. Consueti humore refertâ, ac simplici mea-  
tu intestinum duo denum prope juncturam in-  
grediente, ib. l. s. instructum; Ex quo hepate bine  
venæ cavæ (lit. q. q. ibid.) ad utrumque cor per  
simplex diaphragma ascendebant: Duplex ven-  
trculus juxta duodenum in unum coiens inte-  
stinum fig. 2. lit. ff. bini lienes lit. g. g. tenuissimis  
membranis lit. i. i. ventriculorum fundis annexi:  
In intestinis ileon ubi incipit, sacculus magnus  
quadruplo ventriculis major (lit. L.) succo liqui-  
do nigro viridicante turgidus conspiciebatur;  
Ex hoc sacculo geminum intestinum ileon  
unum superius, alterum inferius vid. fig. 2. lit.  
m. n. egrediebatur, utrumque meconio ple-  
num, ut & intestinula cœca Vermicularia lit.  
o. o. sed inæquali magnitudine; Dextrum enim  
feu



seu superius l. *m.* adeo gracile & angustum ut vix paucula illa contenta & excrementa quovis modo expelli iis potuerint.

§. 7.

**O**Menta porrò duo, tenuia, intestina non obtegentia, ex utroque ventriculo dependebant. Præter hæc in abdomine gemina vesica urinaria, quatuor renes, bini uteri, duæ venæ umbilicales, vid. *fig. 3.* lit. *r. r.* ad unum hepar ex una secundina & simplici funiculo umbilicali lit. *d.* abeuntes; totidem arteriæ umbilicales ad arterias iliacas descendentes, totidem deniq; urachi ad suam singuli vesicam tendentes cernebantur; simplex arteria cæliaca hepar ingrediebatur lit. *t.*, nec non unicus ductus biliaris lit. *s.* in duodenum mox infra juncturam desinebat. In pectoribus costæ demum inferiores in unum coibant versus os pectoris sub lit. *b. fig. 1.* simplici cartilagine, quam Ensiformem dicunt, connexæ; duo corda, suis singula cavitatibus latentia, aderant inæqualia, dextro prævalente.

§. 8.

**N**Um igitur insuetus hicce hominis partus inter prodigia, ostenta, portenta vel monstra numerandus propriè sit, si in antecessum dis-



scufferimus, crimini nobis, ut spero, non dabitur; cùm Autores prologo laudatos portenta, ostenta, prodigia ac monstra confuse satis, promiscuè ac pro se usurpasse deprehendamus, id quod & notavit Honorat. in Virgil. l. 3. Æn. pag. 296. nec non Zach. quæst. Med. leg. lib. 7. tit. 1. q. 1. p. 527. dicendo: Abuti autem quoscunque Auctores hâc voce notissimum est, cùm quod prodigii vel ostenti vel portentii potius nomen meretur, Monstrum indifferenter vocitent. sic Plaut. in Asin. act. 2. scen. 2.

*Pro monstro extemplo est, quando qui sudat, tremat.*  
Ubi monstrum propriè prodigium esset dicendum, quemadmodum & illud apud Virgil. l. 9. Æn.

*Trojanos hæc monstra petunt,*  
sic etiam Tass. Hierus. cant. 9. stant. 13. notante Zach. l. c.

*S'empie di mostri è di prodigi il cielo.*

§. 9.

**E**Nim verò, quamvis nomenclatura neminè unquam servârit, dicente Foresto, doctrinæ tamen principium nominum habetur disquisitio; nominum profectò usu cognito, rerum, quarum notitiam inspicere amamus, notitia sequitur. Age ergo monstri *ονοματολογιάν* paululum



lulūm excutiamus; Consistit autem nominum cura specialis in tribus, in paronymia, homonymia, & synonymia. Synonyma recensentur à Sperlingio Inst. Phys. Græca & Latina. Illa τέρατα, σημεῖα, παρεμβάσεις, τρώματα, βάσματα, νοσερά, πέλωρα, ἀλλόμορφα. Martinus Rulandus in Lexico Græco-Latino addithæc: ἄλλόκοτα, ἀποφώλια, τεράσια, τερατωδεύματα &c. Latina: Fœtus monstrosi, monstrosa germina, mirifica corpora, ostenta, portenta, prodigia, partus turpes, deformes, horrendi. Gall. un monstre, prodige, miracle, chose qui advient contrela nature. Ital. Mostro, publicane, dispendimento, sconciamento, disconciamento, sconciatura, sconcezza. Quæ inter, certè importuna quædam videri queunt; sed ab homonymia potissimū liberanda nobis hoc loco dictio *Monstri*, quia errorum genitrix fuit æquivocatio semper, non tantū Grammatico & Logico sed in foro m. Medico.

§. 10.

**H**Anc igitur quod attinet, monstrum esse τῶν μέσων deprehendimus, & dicitur juxta Honorat: in Virg. 2. Æn. ut & Ciceron. de Natura Deor. à *monstrando*; monstra, inquit hic, prædictiones & præfensiones rerum futurarum, quid aliud declarant, nisi hominibus ea quæ futura



sunt portendi, prædici; ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur, & lib. de divinat. i. ostenta, portenta, monstra ac prodigia appellata esse dicit: quòd ostendant, portendant, monstrent, prædicant: Diversum quamvis demonstrare quid fatagat Licetus l. i. cap. 2. Monstra propriè dici, non quia sint talia, ut hominibus monstrent res eventuras; futura enim non indicent, quia sint effectus eorum: sed quia vicissim ejusmodi sint, quæ ob sui novitatem ac enormitatem, quamprimum visa, cum admiratione atque stupore, ab unoquoque unicuique alteri monstrentur. Alii à *monendo* commodiùs & veriùs deduci arbitrantur. Nos talem litem nostram non facimus, sufficit nobis observasse, latiùs usurpari nonnunquam, nonnunquam strictiùs: *Latiùs*, prout Schott. tradit in Phys. sua curios. si sumatur, per omnia entium genera vagatur, ac pro omni, quod ob raritatem dignum est monstrari, tamque inanimatis quàm animatis, tam supralunaribus quàm sublunaribus rebus, quæ admirabilitatis quid adjunctum habent, convenit; Inque tali significato sumitur pro raro & insolito quovis; pro errato artificis, pro perfectione insigni, juxta Zach. l. c. sic homines doctrinâ excellentes monstra vocantur, nec  
non



non optimis quibusque rebus, ipsi quoque pulchritudini, cum valde excedit, monstri nomen aptatur : Unde Petrarcha Lauram suam allocutus

*O de le donne altiero & raro Mostro!*

Aliquando m. pro convicio in pessimos homines id nominis jactatur Terent. in Eunuch. act. 4. sc. 4.

----- *Unde habes vestem? taces?*

*Monstrum hominis, non dicturus?*

Pro purgamento terræ, ut habet Honorat. in Virg. 1. Georg. p. 68.

§. II.

**S***Trictius* verò sumitur juxta eundem Honor. 2.3. & 8. Æneid. pag. 267. 276. & 498. quando ad partus hominum & animalium atque ad præsens tantum significatio ejus refertur, nam statim & subito monstrum quid sit, apparere, atque hoc proprietatem esse; abusione tamē plerumque corrumpi inquit. *Prodigium*, quasi prædicium ex Ciceronis sententia in longum tempus dirigit significationem & ante prædicit: *Ostentum* verò, præter consuetudinem in coelis apparet; veluti, si videatur coelum ardere, aut spectrum aliquod se ostendat. *Portentum*, quod in terra & aquis natum, porrò tamen & diutius tendit &



futurum postea aliquid indicat. Schild. in Sueton. Tranq. p. 250.

§. 12.

**E**X istis qualitercunque patet & quid Autores per monstra intellectum velint, & cui monstrorum classi præsentis quæstionis partus annumerandus veniat. Nempe *monstrorum* partum diximus; quia, seu secundum Ciceronem, ut non paucis ad primum potissimum ejus placuit conspectum, futuri quid ominetur & quasi præmonstret; seu juxta Licetum ab aliis frequentissimè ostensum aliis, subito quid erat, fuerit; certè candida, (nives enim plurimæ erant) aliàs via pueris, puellis, studiosis, militibus, maribus foeminisque, nigrescebat. Porro diximus *gemellas monstrosas humanas*; quia partus est à conjugibus conceptus natusque, at cum deformitate valdè notabili stupendâque, uti cùm è schematismis patuit, tum postea pluribus. Dignum certè Naturæ opus, cui meditando non nihil adhuc impendamus moræ.

§. 13.

**M**Isâ itaque definitione *ὀνοματῶδη*, ad *πραγματῶδη* nos conferimus. Quantum igitur ad Monstrum strictè dictum, id describitur ab Arist.



Arist. lib. 4. de generat. animalium c. 3. in fine & 4. quòd sit oblæsiō , prævaricatio & excursus naturæ, consistens vel in superfluitate membrorum vel defectu , vel mutatione loci naturalis, vel depravatione quantitatis vel qualitatis vel figuræ. A quâ descriptione parum deflectit Doctorum cohors: vid. l. 135. ff. de verb. sign. l. 14. ff. de statu hominum Licet. Rod. à Castro Merc. Welsch. Peiz. Celeberrimus Waldschmidius Collega noster honoratissimus, Disp. de hoc Monstro. *Error* dicitur *naturæ*, in quo distinguitur aberrationibus & peccatis artificis, quæ propriè monstra non dicuntur; eò quòd non à natura vel naturali agente, sed ab arte vel artifice aberrante defectiōnes illæ proveniant, ut ut rhetoricè actiones monstrosæ audiant, nam & moralia monstri quid alunt , quoties à legis scopo aberrant mortales. Est tamen certum utrobiq; discrimen; Artifex studio quando aberrat id laudi subinde cedit, v. g. pictor in Veneris facie verruculam aliave venusti corporis parte nævulum figens; (qua de re Ephem. Gallor. p. 176. edit. Gieff.) In moralibus verò civilibusque si datâ quis erret operâ, eò plus vituperii promeretur, quòd elatâ manu delictum patrârit. Equidem morales non isti sunt naturæ defectus; nec  
enim



enim vitium naturæ adscribendum venit, sed aberrare ea dicitur, quòd à primario suo instituto seu fine propter aliquod impedimentum deflectat, idque rarò ; Quemadmodum in foetu hoc quæst. factum, ubi Natura à primario suo instituto, gemellis scil. perfectè formandis, ob impedimentum aliquod, tenerrimis ac mollissimis adhuc partium omnium staminibus existentibus, aberravit.

§. 14.

**S**Equitur *in superfluitate* membrorum vel defectu. Exempla sunt; quando foetus pluribus justo capitibus, brachiis, pedibus, digitis aliisque partibus nascitur ut in foetu quæst. bicorpore abundè videre est.

§. 15.

**I**N *mutatione loci naturalis*; quando membra in situ præter consuetudinem naturalem sunt transposita, quale quid in partu hoc monstroso non visum, præter quàm quòd ventriculi, splenes, ac hepar situm consuetum non servassent.

§. 16.

**I**N *quantitate*; dum membra insigniter majora aut minora, quàm communiter & naturaliter solent, sunt; quemadmodum sacculus iste sub lit. L. f. 2. in foetus hujus intestinis, incon-

fue-



suetam & iusto longè maiorem habebat cavita-  
tem: è contraintestina sub lit. m. è. sacculo hoc  
egredientia iusto minora & angustiora erant.

§. 17.

**I**n *qualitate*; cùm partus in consuetam & nota-  
bilem aliquàm crassitiem, tenuitatem, aut ali-  
am inusitatam habeat qualitatem. Notabilem  
tenuitatem atque gracilitatem cernimus in fœ-  
tus nostri pedibus sub lit. e. e. fig. 1.

§. 18.

**I**n *figura*; pro ut genitura editur figurâ non re-  
cta sed prona, more quadrupedum, aut si ho-  
mo faciem habeat, aut aliud membrum non  
modo humano sed ferino; tale quid in hâc  
genitura non visum.

§. 19.

**I**uxta expositam jam definitionem, in quin-  
que monstra solent dividi classes, ut videre est  
apud Zach. l. c. Peizer. p. 212. Rod. à Castro p. 1.  
lib. 3. pag. 140. quorum prima comprehendit o-  
mnes nationes, quæ præ reliquis monstrosæ &  
defectæ apparent, aut notabili aliquo vitio in-  
signiuntur: quales homines Scythæ feruntur ef-  
se, in regionibus Septentrionalissimis ætatem  
agentes unumque oculum in frontis medio ha-  
bentes, qui dicuntur Arimaspi, quâ fuisse facie

C

Cyclo-



Cyclopas Poëtæ ferunt; Alios itidem esse homines in eadem mundi plagâ, notante Gellio Noct. At. l. 9. c. 4: singularis velocitatis, vestigia pedum habentes retrò porrecta, non, ut cæterorum hominum prospectantia: quin traditur esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint, eosque ipsos mares foeminasque: qui visu tam nocenti sunt, pupulas in singulis oculis binas habere. Item esse in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus & latrantibus, eosque vesci avium & ferarum venatibus: atque esse item alia apud ultimas Orientis terras miracula, homines, qui monocoli appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes vivacissimæ pernicitatis: quosdam m. esse nullis cervicibus, oculos in humeris habentes: jam verò egreditur omnem admirationis modum, quòd idem illi Scriptores gentem esse ajunt apud extrema Indiæ, corporibus hirtis & avium ritu plumantibus, nullo cibatu vescientem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem, hæc Gellius. De his videantur Historici de rebus Indicis scribentes.

## §. 20.

**S**Ecunda Classis eorum est, quorum corpora magnitudine superant aut parvitate deficiunt



unt à debita hominum commoderatione ut Gigantes, pumiliones, nani & pygmæi; quales pygmæos Gellius l.c. notavit, non longè à prioribus nasci, quorum qui longissimi sunt non longiores quam pedes duos & quadrantem esse Plin. Pygmæorū gentem juxta paludes Nili habitare prodidit, & alias juxta Gangem ternas spitthamas, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, de quibus non ineleganter Homerus, qui autor hujus rei creditur, Iliad. lib.1. in princip.

*Veluti clangor Gruum est in aëre supra;  
Quæ postquã frigus effugerunt & immensũ imbrẽ  
Cum clangore illæ volant ad Oceani fluctus,  
Hominibus pygmæis cædem & mortem ferentes.*

Et Ovid. lib.6. Metam.

*Alter a pygmæa fatum miserabile matris  
Pars habet; hanc Iuno jussit certamine victam  
Esse gruem, populisq; suis indicere bellum.*  
Similiter Juvenalis Satyr. 13. modò vera essent.  
*Ad subitas Thracum volucres, nubemq; sonoram  
Pygmæus parvus currit bellator in armis,  
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curvis  
Unguibus à se vâ fertur grue: si videas hoc  
Gentibus in nostris risu quatiare, sed illic,  
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet  
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.*



§. 21.

**Q**Uæ, quanquam à Poëtis orta fabulosa videantur, sunt tamen naturales historici hæc pro veris admittentes, vid. Zach. l. c. Nec non Schott. in Phys. sua Curios. p. 424. pygmæorum gentes integras fuisse defendit, ibique exempla ex antiquis & recentioribus refert. Imò existentiam horum ex sacra paginâ deducere conantur; quando Propheta Ezechiel in descriptione urbis Tyri inquit: c. 27. v. 11. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu; sed & pygmæi, qui erant in turribus tuis; Quem locum varii variè interpretantur. Eorum nonnulli pygmæos; Alii cubito brachiove valentes; Alii Medos; Alii feroces, indomitos & audaces homines; Alii Phœniciæ populos per Gamma-dæon intellectos volunt. vid. Pol. Synops. Criticor. & alior comment. in Ezech. c. 27. p. 1178. & 1179. volum. 3.

§. 22.

**M**agnitudine qui superant, sunt gigantes, quales fuerunt filii Hanaki, ut videre est Numerorum c. 13. v. 33. & 34. ubi exploratores populo Israëlitico, totum illum populum, quem viderunt in terra ista, homines esse proceros, retulerunt, quem locum non sine emphasi

Ma-



Magnus ille Theologus Giovan. Diodati reddit:  
 Et tutto' l populo, che noi habbiamo veduto in  
 effo sono huomini di grande statura. Noi v' hab-  
 biamo etiandio veduti de' giganti, cioè, i figli-  
 uoli d' Anac, che sono del numero de' giganti;  
 appeto a quali ci pareva esser locuste; e tali eti-  
 andio parevamo loro. Nec non Deut. cap. 2.  
 v. 11, 20. & 21. ut & 1. Regum 17. v. 4. & 5. 2. Reg. 21.  
 v. 16. ubi ita legim⁹: Egressus erat quidam bella-  
 tor è Castris Pelischthæorum, *Goliath* nomine,  
 cujus altitudo erat sex cubitorum cum spitha-  
 ma. Tum Jischbi Benob, qui erat è natis cu-  
 jusdam gigantis, cujus mucronis pondus erat  
 trecentorum siclorum pondus, ex chalybe,  
 eratque accinctus novo gladio. Verè olim existi-  
 tisse præter S. Scripturæ testimonia, testantur  
 Div. August. l. 15. de Civitate Dei c. 9. & post ali-  
 os vetustiores Pererius in Genes. l. 8. c. 6. Heideg-  
 gerus Histor. Sacr. Patriarch. Exertcit. XI. de  
 Nephilim seu gigantibus anteluvianis: idem  
 Plin. Plutarch. &c. Exempla antiqua & recen-  
 tia, item de gigantibus Siculis vid. ap. Schott.  
 Phys. curios. pag. 431. & seq. Welsch. im Hebam-  
 men-Buch/prolixè hâc de re agentes.

§. 23.

**T**ertia Classis ea continet corpora, quibus  
 C 3 ali-



aliquod deest membrum, vel superabundat; qualia sunt, primò à formà, quæ prodeunt multimembra, scil. multis pedibus, manibus a. capitibus, qualis hic quæst. monstrosus fuit partus quatuor pedum, totidem brachiorum, duorum capitum, geminorum pectorum, unius abdominis &c. Huc referunt quoque Androgynos seu Hermaphroditos; quos Cicero monstris accensuit lib. i. de Divin. *Quid, inquit ortus Androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit, nec non* Lucret. lib. 5. de rer. nat. dum ita in fit:

*Multaque tunc Tellus etiam portenta creare,  
Conata est mirâ facie, membrisq; coorta,  
Androgynum inter utrum, nec utrumq; & utrin-  
que remotum, &c.*

item Roderic. à Castro lib. 3. de natur. mul. c. 12. &c. Horum quatuor Schott. Phys. curios. pag. 447. ponit differentias: Alios vocat Androgynos seu Hermaphroditos mares, qui sexum virilem perfectius ac validius participant, quàm muliebrem, quoad genitalia: Alios Hermaphroditos foeminas, in quibus è contrario foemineus sexus elucet perfectius quàm masculinus: Alios Hermaphroditos perfectos quidem, qui nimirum expressam utriusque sexus



sexus imaginem in genitalibus referunt, sed tamen ad generationem & seminis profusionem inefficacem. Alios denique Hermaphroditos perfectissimos, in quibus non solum utriusque sexus signa perfecte apparent, sed etiam omnes conditiones ad perfectam generationem necessarias habent. Secundò quibus aut brachia aut aliud deest membrum, qualis hic Marburgi adhuc in vivis Sartoris filiulus uno brachio ante biennium natus, aliàs satis formosus puer.

§. 24.

**Q**uartæ Classis ea comprehendit monstra, quæ bruti speciem una aut pluribus partibus referunt : qualis fuit ranæ capite natus, alius ab umbilico ad pedes usque cani similis, vulpino alter capite Parisiis in suburbio Saint Germain anno 1667. à juvenca natus, Viardel Chirurgus Regio notante; Verba notatu digna ex versione nostrâ in tractatu cui Titulus *Anmerkungen von der Weiblichen Geburt* / pag. 142. hæc sunt, Diese / (nemlich Jungfrau) als sie einmahl zur Vesper gehen wollen / in die Kirche des grössern Convents der Augustiner / und bey den Spielpuppen (marionettes) unten an der neuen Brücken fürüber gehen muste / stunde sie still und betrachtete mit grossem Fleiß eine Puppe / die auff  
der



der Trommel spielte / und einen Kopff gleich einem  
 Fuchs hatte / welche ihr dermassen gefallen / daß sie  
 zum öftern über die neue Brücke gieng / ihren Lust  
 zu stillen / und diese Puppe mit guter Beile zu be-  
 trachten ; Das Kind / so sie hernach / als sie zur  
 Geburs-arbeit angetrieben / gebohren / ist zwar  
 an allen andern Gliederu des Leibes sehr wohlge-  
 stalt / und einem andern Kind ganz gleich gewesen /  
 ohne mit dem Kopff / welcher einem unvernünfti-  
 gen Thierkopff / einem Fuchs ähnlich ware. Ita  
 Amstelodami 1637. filia capite equino grandina-  
 ta. Ibidem alia capite suillo. Felino quoque ca-  
 pite partus quidam ante bienniū Bruxellis natus.

§. 25.

**Q**uinta & ultima Classis eorum est, quæ bru-  
 tialicujus animalis, vel plurium simul spe-  
 ciem ac figuram repræsentant, ut Elephantis,  
 quem Alcypes peperisse historiis traditur, &  
 serpens, quem initio Marcisi belli ancillam  
 enixam esse Plinius scripsit,

*Matremque suos conterruit infans :*

ut Lucanus cecinit lib. 1. 563. & Juvenal. Satyr. 2.

*Scilicet horreres, majoraque monstra putares,  
 Simulier vitulum, vel si bos ederet agnum.*

§. 26.

**D**E actuali monstrorum in rerum natura e-  
 xistentia,



xistentia quemadmodum nullus unquam sanæ mentis homo dubitabit ; ita nec credendum erit, omnia illa quæ nonnūquam ficta sub monstrorum nomine circumferuntur , aut Poetarum commenta, aliorum hominū mendacia, ita loquente Liceto l. i. c. 3. p. 8. monstra esse. Existunt autem non tantū in regno animali frequentia sed & in vegetabili ac minerali, sicuti inter varias alias monstrosas plantas præterito anno monstrosum fatis violæ matronalis acinacis instar in hortulo nostro succrescentem accepimus, nec non hinc ante biduum vel triduum in Herbatione publica in campo bellidem majorem monstrosam tribus capitibus seu floribus integris ac perfectis unius caulis justo latioris fastigio insistentibus adinvenimus : Rubi m. vidimus apicem formam cochleæ accuratè repræsentantem, domunculam scil. vacuam ingressa caulis summitas illius penetralia ad interiorem usq; recessum explerat. Silicem ex albo fuscā, figurā galeam exactè referentem ad arenosam Lani ripam jam dudum fortè fortuito offendimus, quorum juxtā cum aliis præcipua adhuc dum in camera sua curiosa ostendere novit curiosus quidam Nostrās.



§. 27.

**V**Idimus hætenus Monstri *ὀνοματολογία* atq; *πραγματολογ.* cū in genere, tum nuperum Marbacense in specie; deposceret nunc methodus causas, investigatu licet difficiles, ut perscrutaremur: vix enim ullibi majores sunt tenebræ & cespitationes quàm circa hominis generationem partumq;ue, adeò, ut nec ipsa sacra pagina Eccl. II. ejus obscuritatem taceat. Verū cū affatim de his Prænobilissimus Dn. Doct. Waldschmied. egerit, neq; etiam nostrum sit *φυσικότερα* hæc tradere, ad quæ sita nonnulla vel ad primū partus hujus monstrosi conspectum, vel pòst inter secandum exorta, vel ex ipsa historiæ circumstantiâ adhuc formanda progredimur.

§. 28.

**P**Rimò namq;ue, num duplicatus talis foetus: salvus ac sospes uteri angusta claustra, vivâ remanente matre, perumpere potuisset? perquirebatur. Mulier quamvis inter reliqua animantia sola juxta naturam difficilem patiatur partum, notante Sennerto libr. 4. part. 2. sect. 6. c. 4. ut & Roder. à Castro part. 2. lib. 4. c. 6. quippe quæ sola maximos inter pariendum sustineat cruciatus, cujus rei naturales assignant causas, debilitatem foeminarum nostri generis, earundem

dem



dem vitam otiosam & magnitudinem capitis infantis; præcipuæ tamen ex divinis petendæ oraculis ac referendæ in lapsum primæ mulieris; voluit enim Altissimus sexum illum, qui tantarum ærumnarum causa fuit, huic subjici calamitati, ut scriptum est Genes. 3. v. 16. admodum multiplicabo dolorem tuum etiam conceptus tui, in dolore paries liberos; Multifariè tamen partus talis naturaliter dolorificus in præternaturalem difficilem & periculosum valdè deflectere potest; quemadmodum partum quæst. talem fuisse, cum misera experta est puerpera, adeò ut alterum pedem in cymba Charontis habere ab intuentibus omnib; haberetur; tum ipsæ gemellæ, ob viæ angustiam, molis suæ magnitudinem in partu isto horrendo, (testante hoc extravasato & congrumato imprimis sanguine, in dextræ gemellæ thoracis cavitate sub claviculis post dissectionem reperto,) ita compressæ, ut vitales statim relinquere auras cogerentur.

§. 29.

**P**artus hic præternaturalis fuit, cum ratione causæ, tum ratione modi: Hujus, (naturalis enim ut sit, quinque requiruntur conditiones; quarum prima est, ut fiat perfectò jam fœtu, 2. a. ut debito tempore; 3. a. ut debita figura,



ideſt ſitu & modo , dum nempe infans in caput converſus, manibus & cruribus ſuſum protenſis, exitum quærit; 4. *a.* ut levibus accidentibus fiat; 5. *a.* ut *καταρμήνια* & ſecundinæ ritè expurgentur,) quia neque primò naturali modo una fororcula poſt alteram nata, ſicuti in gemellis id requiritur; juxta exemplū gemellorum Gen. 25. verſ. 24. ubi prior prodiit rufus & pilofus Heſavus, poſte à verò prodiit frater ejus Jacob : Hic *παρενδετικῶς* decidenda ſubintrat quæſtio, num villoſus Heſavus monſtroſus fuerit ? Monſtroſum eum fuiſſe concluſu haud difficile videtur non quidem quia rufus, qualis non à cutis ſed pilorum colore fuit, unde mare rubrum ab eo dictum volunt, vide Poli Synopſin Crit. &c. in Gen. loc. cit. ſed, quia pilofus, quales Poëtæ ſatyraſ nobis deſcribunt, fuit, quod actus Jacobi à patre benedictionem exoraturi, confirmat; Contra naturam autē eſt, hominem toto corpore villoſum naſci; nullus enim infans, qui non eſt monſtrū, naſcitur toto corpore pilofus; juxta Celeb. Dn. D. Strauſ. in diſp. Ph. de Monſt. p. 27. qualis infans fuit hirſutus, quē hoſpita Hamburgenſis enixa pilis digitum longis, cujus mentionem facit Barth. cent. 3. hiſt. 38. omnes prætereà fermè Commentatores in Geſ. *ὁμοψύχως* habem⁹, Eſavum fuiſſe monſtrum, quos inter eſt Perer. Cornel.



Cornel. à Lapidè &c. Secundò neque debitâ sed inversa figurâ seu situ, pedibus scil. primò sinistra, post, sed laboriosè, dextra quoque pedibus apprehensis, violento modo extractus hic foetus est; unde nec levia fuerunt accidentia, adeò, ut vitâ valdè periclitaretur, contestantur hoc rupturæ aliæque læsiones circa genitales partes factæ, atque gravia alia symptomata. Neque denique *καταμύνη* ritè, fluxere, imò adhuc dum iis molestatur misera ista flaccida & exhausta à puerperio muliercula; quæ profectò salvis nascentibus gemellis non potuisset non experiri illud, quod Rachel Genes. 35. vers: 17. seq.

§. 30.

**C**Ausa porrò partûs p. n. non una eademque recensetur; vel n. est juxta Sennert. lib. 4. part. 2. sect. 6. c. 4. pag. 405. in matre ipsa, vel in foetu, vel in viis per quas egreditur infans, quales iterum variæ referri possent causæ, harum tamen non infimæ censendæ, quando vel foetus inusitata est magnitudinis & monstrosus, prout in hoc foetu bicorpori visum fuit; vel quando in viis causa est, dum, non os aut cervix uteri viam nimis coarctant, sed os pubis, sacrum, coccygis ob firmiorem compagem & articulationem potius portam angustiore



& constrictiorem, ne uteri os & cervix sufficienter distendi queant, reddunt; unde & foetus & mater non rarò periclitantur, imò mortem obeunt; quemadmodum vix ante bimestre trimestreve spatium hîc loci, mulierculam quandam peregrinam, parvæ staturæ, obesam, tamen ex partu difficili mortuam in gratiam obstetricum, Chirurgorum &c. dissecuimus, ubi aperto abdomine uterus mirificè ad diaphragma usque & latera extensus conspiciebatur, in cujus cavitate non exiguæ magnitudinis, respectu matris homer dâ nigro-livida conspurcatus condebatur foetus, situ & modo quidem naturali pedibus & manibus sursum protractis, sed capite valdè compresso, adeò firmiter intra os sacrum, pubis & coccygis hærebat, ut retrahi sine læsione vix posset; idem ferè in præsentî parturiendi negotio accidisset; sicuti anno 1681. Veronæ mulieri, ex simili gemellorum corpore & pectore connexorû partu exspiranti contigit, recensente Schmuë fasc. admir. nat. 4. n. 1. nî obstetrix singulari Dei & adjuvantium auxilio violenter foetum quæstionis bicorpoream extraxisset. Ex quibus dictis illatu facile, vix foetum hunc duplicatum vivum ac integrum modo naturali superstite remanente genitrice alvo  
excludi



excludi potuisse. Huic conclusioni si quis ob-  
tendere præsumat partū monstrosū Gieffen-  
sem, qui non minus bicorpor fuit (ceudixi-  
mus supra) saluum tamen & incolumen nasci  
potuisse matre superstite, adeoque non ob-  
stare angustiam membrorum partui dicato-  
rum incolumitati nascentis talis monstri. Re-  
spondemus, non esse parem in sequela ratio-  
nem, situs enim gemellorum Gieffensium con-  
trarius fuit, capite Johannis jacente ad pedes A.  
Catharinæ & vicissim porrectis pedibus Johan-  
nis versus collum A. Catharinæ; jam verò  
monstri Marburgensis bina capita (quæ corpo-  
ris humani pars potiolem reddit partus difficul-  
tatem) simul prodire debuissent, quod præci-  
puum confectarii nostri principium ponimus.  
Taceo quòd alteruter gemellor. Gieffens. justæ  
fuerit consistentiæ, alter verò debilior.

§. 31.

**I**ndagabatur porrò ex Zach. quæst. med. leg.  
libr. 7. t. i. quæstio. 5. Bicorpora monstra,  
quæque principaliora duplicata habent mem-  
bra, pro unicòne homine an pro gemino ha-  
benda? Sola quamvis anima juxta Platonem  
in conv. & Ciceron. in Somn. Scip. non faciat  
hominem sine ejusdem corporis perfectione,  
Quæ-



Quæstionis tamen decisio ex cognitione sedis  
 principatus animæ dependet, ceu communis  
 Doctorum est sententia. Quæ autem hujusmo-  
 di in homine reputetur particula? ac re inter na-  
 turæ indagatores intercessit certamen Parmeni-  
 des & Epicurus (Plutarch. de histor. Phil.) sedem  
 principatus animæ in toto pectore statuere:  
 Stoici in toto corde, vel in spiritu cordis: Dio-  
 genes in arteriis cordis solum: Empedocles in  
 sanguine: Quidam in cervice cordis: Alii in  
 membrana vestiente cor: Nonnulli in septo  
 transverso: Alii in ea corporis parte, quæ à ca-  
 pite ad septum transversum pervenit: Strato in  
 ea capitis regione, quæ superciliis respondet:  
 Erasistratus in membrana quæ involvit cere-  
 brum: Erophilus in concavitatibus cerebri:  
 Galenus in cerebro: Carterius in glandula pi-  
 neali cerebri. Prærogativam scilicet cerebro de-  
 beri, exquisitiores Medici & Philosophi haud  
 dubitant. Ideò si quod jam duobus distin-  
 ctum capitibus in lucem prodeat monstrum,  
 quamvis reliqua unius tantum sint hominis,  
 dicerem in hoc duas esse mentes ac pro duobus  
 omninò esse habendum; confirmat hoc Au-  
 gustinus in Enchirid. c. 87. Epist. 63. ad Vitalem,  
 cum de monstro bicorpori, simili nostro, quod  
 Divi



Divi Hieronymi ætate Lyddæ natum fuit, duo-  
 rum capitum, quatuor brachiorum uno ven-  
 tre & duobus tantum pedibus, iudicium ferret:  
 illud non unum hominem duplicem sed planè  
 duos esse testatus est. Siquidem cerebrum est  
 unicus spirituum animalium fons, totius ma-  
 chinæ humanæ nervorum principium; per ce-  
 rebrum actiones nostræ determinantur atque  
 ad hunc vel illum finem diriguntur, corpus quò  
 libet movetur, quò libet trahitur: consequitur  
 hoc maximè quidem veritatem habere, mon-  
 stra duobus capitibus insignita, quomodocun-  
 que tandem in corpore situentur, semper habe-  
 re disjunctas operationes. Conspectum enim  
 in unico corpore bicipite, diversas uno eodemque  
 tempore passiones dominari, uno eodemque  
 momento voluntatem in diversa rapi, alterum  
 lætitiâ affici, mœrente alio; ridere unum flente  
 altero; loqui unum altero iratum præ se ferente;  
 quin inter se ipsa pugnare duo in uno corpore ca-  
 pita visa sunt. Comprobat hoc Barth. hist. rar. A-  
 nat. cent. 1. Lazarum Colloredo Genuensem,  
 inquit, Hafniæ primùm vidi, deinde Basileæ 28.  
 annos natum, sed utrobique cum stupore. Fra-  
 terculus huic Lazaro in pectore erat adnatus,  
 si rectè conjeci, osse xyphoide utriusque cohæ-  
 E rente.



rente. Pes sinister solus illi dependebat , duo brachia , tres in manibus singulis tantum digiti. Vestigia pudendarum partium apparebant. Manus, aures, labia movebat, in thorace pulsus. Excrementa nulla minor frater excernit nisi per os , nares & aures , nutriturque eo quod major assumit. Unde partes animales & vitales distinctas habebat, quum & dormiat, sudet , moveatur, quando major vel vigilet vel quiescat vel ficcus est: Uterque etiam suo nomine ad baptismatis fontem insignitus fuit, major Lazari, minor Johannis Baptistæ. Naturalia verò viscera ut hepar, lien &c. utrique communia erant. Oculi clausi ferè Joanni Baptistæ, respiratio minor , ad motum enim plumam parum movebatur , ad motum verò manu exilem halitum calentem deprehendimus. Patulum ferè illi & hians os , dentibus prominulis, salivam perpetuò ferè madens , caput videbatur solum omne alimentum in sui augmentum absumere. Prægrande enim & majus quàm Lazaro, sed deforme, capillis supino situ dependentibus. Barba utrique crevit sed Baptistæ neglecta, Lazaro compta. Erat autem Lazarus justæ staturæ, corpore decenti, moribus humanis, & ad aulæ morem ornatus. Inducto pallio fratris tegebat



corpus fovebatque, nec monstrum intus condi primo alloquio diceres. Animo ubique præsenti videbatur, nisi quòd de fato subinde sollicitus, mortem fratris timebat, quòd se foetore & putredine extinguendum quoque præsagiret, hinc magis in curando fratre quàm se laborabat. Hæc Barthol. Exstat etiam Epigramma de gemellis connatis à Francisco Petrarcha tr. 6. de rer. mem. cap. 21. relatum, notante Zach. l. c.

*Non verò nobis unus somnusque cibusque*

*Nec risus nobis, fletus & unus erat.*

*Unus membra dabat somno, ridebat & alter,*

*Surgebatque unus flens quoque & alter erat.*

§. 32.

**Q**Uòd si verò (integer licèt) prodeat foetus, in eo tamen vel à dorso vel à ventre vel aliunde homuncio aliquis pendeat, siquidem caput intus lateat, qualem Baptista Porta vivum se vidisse puerum Mag. Natur. libr. 2. c. 17. confiteatur, ex cujus pectore alius puer foràs exhibat integer, retento solùm in pectore prioris capite, qui cohærebant simul in ventre: nequaquam pro altero habendum id esse quodcunque adnatum est, non immeritò tamen concludimus.

§. 33.

**D**UO igitur homines cùm fuerit monstrum



nuperum, quæsitum in super fuit, num, siquidem vivus in lucem prodisset iste partus, separari ab invicem fororcularum corpora potuissent, ita ut vel utraque vel alterutra saltem in vivis remaneret ? Resp. distinctione ante omnia opus inter ipsam distinctionem atque separationem ; duos diximus distinctos fuisse homines, separatos non item: v. gr. ramus est distinctum quid ab arboris trunco, sed ut talis sit, non est necesse ab arbore actu ut sit resectus. Deinde nec tantum non separata fuerunt partus hujus monstrosi corpora, sed ne separabilia quidem salvâ vitæ seu utriusque seu alterutrius incolumitate: Rationes asserti hujus inspectio viscerum suppeditat, quæ culter noster simplicia deprehendit, sive simplex illa identitas à colliquatione ovorum è testibus foem. per tubulos in uterum descendentium, seu aliunde enata fuerit (id quod Physicis excutiendum nunc relinquimus) scilicet alterutri tantum simplicia ista abdominis viscera venissent vendicanda, violenter peremptâ alterâ, quod ipsum si in unius salutem vel maximè tentatum fuisset, tragicus tamen exitus sine dubio & hanc ipsam mansisset, cum solidari varii generis segmenta arte Chirurgicâ nescivissent; omitto, quòd ne cutis

quidem



quidem superinduci, tenellumvè corpusculum  
ullâ ratione foveri satis, & ab hæmorrhagiis, cru-  
ciatibus, convulsionibus, lipothymiis &c. ullis  
remediis, vel ischæmis, traumaticis, anodynis,  
narcoticis &c. præservari & conservari po-  
tuerit.

§. 34.

**D**E concretis itaque utriusque corporibus  
& quantum ad abdomen attinet, confusis,  
nova emergabat *ζήτησις* : anne una gemella-  
rum pasci atque alipotuisset, alterâ existente fa-  
melicâ? Resp. Duos diversos ventriculos in-  
ter secandum comperiebamus, duosque pylo-  
ros; at unum jejunum, simplex mesenterium  
vasa mesaraica communia ad utrumque cor-  
tendentia, unde per arterias in alias omnes cor-  
poris partes sanguis propelli solet, ex quibus ar-  
teriis rivuli innumeri nutritioni dicati omnes  
originem habent, & ut plurimum ex his arteri-  
arum poris egrediuntur, quæ sunt proximè radi-  
cem eorum filamentorum, quæ comitantur  
juxta Cartes. Tract. de format. foet. pag. 209. sq.  
Ex quibus datis respondeo, vix potuisse exsatu-  
rari unam & esurire simul atque continuò alte-  
ram, eò quòd assumpta alimentainque chylum  
conversa viarum satis habuissent, quibus distri-



bui per utrumque corpus ordinaria lege debuisse: nempe cibus in ventriculo alterutrius coctus, per orificium ejus cui pyloro nomen, simplex intestinum jejunum & sacculum illum ingressus, inibi quæ à succo pancreatico ex bile dilutus magis, delatusque unâ cum lymphâ per vasa mesaraica in utriusque venam subclaviam ibique cum sanguine mixtus, ac in gemellarum corda impulsus, exinde per arteriæ magnæ ramos, in omnes utriusque corporis partes nutriendas, propulsus fuisset.

§. 35.

**C**onfectaria istius resolutionis sunt primum, quòd edentula una, odontalgiam item similemque morbum passa, alterius ore cibum potumque capere, adeoque per alteram nutriripotuisse; ita tamen, ut siquidem alterutrius inedia continua diuturniorque fuisset, stomachus hujus corrugator quàm distractior fieri debuisset. Secundum, quòd lethaliter vulnerata alterâ, utramque eadem manere fata debuissent. Tertium, quòd ægrotante illâ picamque vel tale quid perpepsâ & inde fastidiente, hanc medicamina sumere illique opem ferre *ἀδύνατον* non fuisset. Si quis regerere vellet, supponi falsum, alteram sc. ægram alteramque sanam esse potuisse,



tuisse, cum ejusdem alimenti eadem futura fuisset operatio, & per consequens utramque oportuerit vel sospitem esse vel ægram; illi responderem, cum, diversos suboriri alterutri affectus potuisse, quorum vehementia non æque utrumque occupasset atque corripuisset corpus, tum imprægnari alterutram (sterili fortè existente, saltem catamenia patiente alterâ) adeoque varia symptomata (modò ne feralia) habere propria potuisse, quorum experte alteram tantisper secundâ frui sanitate absolum non fuisset, repete §. 31.

§. 36.

**N**on dissimulo quidem h. l. conjecturam quorundam de inæqualitate futuri incrementi fundamento non carere, coeperant enim jam dum in utero non æquales nutrimenti portiones capere; nam gracilior fermè quoad plerasque partes altera, intestina certè ejus multò tenuiora, minusque excrementi continebant, ut supra datum: Ast nollem tamen inde conclusum, quòd ad instar monstri illius bicorporis, quod memoravimus è Barth. §. 31. una in tantum excrescere, altera è contra marcescere deberet, ut hæc illius connexum onus portabilisve ægrè sarcina fieret; quia, ut ut non æqualia membra habuerit utrumque corpusculum nuperi



perimonsri, non impar tamen statura utrique erat & alternum crurum robur de quo statim; at Bartholinianum monstrum initio atque statim à nativitate inæquale valdè fuit nam fraterculus Lazaro in pectore adnatus à primo formationis momento minor longè in omnibus fratre suo exstitisse fertur.

§. 37.

**N**Ec nullius illa quæstio momenti est, unde fiat, ut in hujusmodi monstris infimi ventris partium frequentior accidit σύγχυσις atq; concretio? cur non æquè superiores confundantur ventres? Quòd si enim (ut supra innuimus) ovarii muliebris sphærulæ collidi, humorisque plastici p. n. fieri colliquatio dicatur, remotior allata causa est, non ad æquata isti quæsito; id scil. annotârunt curiosi, partes cordi vicinas, quamvis non semper (ut ab Excellentiss. D. Heiland in monstro Hassiaco anno 1664. nato atque ab ipso artificiosè satis dissecto,) sæpiùs tamē monstrosas fieri, idem de supremo ventre non ineptè dixeris: Causam si me roges, majorem partium abdominis fluorem; staminum & visceribus potioribus dicatorum citiorem perfectionem solidioremque consistentiam; impetuosum ferè solitoque copiosiore affluxum hu-



humoris nutritii per venam umbilicalem hisq;  
congenera afferri posse putem. Sed cum &  
ista sint sphaerae Physicae magis quam Anatomicae, neque nostra mitti falx in alienam messem  
soleat, curioso Lectori id totum dispiciendum  
nunc relinquimus. Nobis profecto non pauca  
Ethico - Politico - Medica alia ut adhuc obver-  
santur, ita moniti de sueto pagellarum disputato-  
rii Speciminis numero verbulum tantum ad-  
demus de futuro partus hujus monstrosi (si su-  
pervixisset) incessu.

§. 38.

**F**Acies nimirum totiusque reliqui corporis  
partes ut sive adversas sive aversas bicorpor  
aliquod monstrum habet, ita pedum vel calca-  
nei vel digiti invicem obvertuntur, & utrobiq;  
aeque auctororum corporum non miri gressus  
concipi non possunt; difficilius tamen penitusq;  
contrarius, si dorsis connexi essent gemelli: Nos  
objectum nostrum impraesentiarum contem-  
plamur, quod corpus corpori, paris utrinq; sta-  
turae, obvertebat, ceu pugil suum intuetur, quo-  
cum congredi parat, antagonistam. Non igitur  
natura directum solitumque formare incessum  
potuisset: in perpetuo enim individuoque oc-  
cursu jamdum fuissent; quod si alterius binos  
F attolli



attolli pedes voluisset, ut altera suis usa directos addisceret gressus, duo obstitissent, primum quòd supponat quæstio parem staturam utriusque, quo casu appensum alteri nimium pondus fuisset, importuno saltem loco, cùm in tergo maluisset quàm manticæ; alterum quòd continuo obstitisset directò ingressuræ alterũ corpus, unde perpetua offendicula oriri debuissent, &c. Quid igitur? obliquum, dixeris fortè, incessum. Natura tentasset seu quatuor pedibus seu binis usa; posterius suadere videtur alternorum pedum inæqualitas, quemadmodum suprà detectum: nimirum incessuræ molis monstrosæ situm talem fortassè nō ineptè quis fingeret; obvertat dextra dorsum orienti, sinistra occidenti, gressus fecissent dexter dextræ & sinister sinistrae pedes in plagam non præcisè arcticam nec etiam antarcticam, sed circiter vel versus Noto-zephyrum vel Euro-boream, vel ad eas denique partes unde Caurus Vulturnusque spirant, nisi magis placuerint glomerati quadrupedis gressus, sed hoc casu vereor ne alterni pedes curtiore claudicationem necessariò effecissent, mihi certè fit valdè verisimile, duo pedes alterni ut proportionaliter crescerent, reliquis duobus atrophiam passis, futurum fuisse *Tantum*!

ALIUS ALIO PLURA MEDITARI POTEST, NEMO OMNIA.

Cele.





*Celeberrimo V I R O*

**DN. JOH. DANIELI  
DORSTENIO,**

Med. D. & in illustri Acad. Marburgensi PRO-  
FESSORI Ordinario Publico, nec non S. R. I.  
Acad. Nat. Cur. Collegæ meritissimo  
*d. Auerrhoæ*

Curiosam MONSTRI Hassiaci descriptionem  
meditanti

*Salutem P. Officiosissimam*

**MICH. BERNHARDUS  
VALENTINI,**

M. L. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Coll. d. *Thessalus.*

**B**Is duo lustra fluunt, geniti quòd sanguine MONSTRI  
Pinxerit heïc Cathedras GISSA polita suas.

*Increpuit simili Cattorum Academia, Lanus*

*MARBVRGI medium quâ secat urbis iter.*

*Hac quid alant monstri, Veterum docuere labores*

*Sapius & capitis monstra dedere sui.*

*Multa LICETVS habet, RIO LANVS, multa PARÆVS*

*Ducitur hic cerebro, ducitur ille suo.*



*Quæ TIBI jam placeant, quâ sint ratione modernis  
 Artis principiis concilianda, mones,  
 INCLYTE DORSTENI! magnum mihi Nomen & Omen  
 Et vitæ & studii portio multa mei.  
 Sic simul errores Naturæ quæris, & Artem,  
 Quam sequeris multò clarius inde probas.  
 Maecte VIR excelsæ mentis! TIBI militat æther,  
 Ac Illustre tuum Nomen ad astra feret.  
 Monstrorum Domitor dicatur & audiat olim  
 ALCIDES, manibus nobilis usq; suis;  
 Vix tamen exsuperat celebri tua Nomina famâ,  
 Quæ sine fine canent postera sæcla. V A L E.*

\*\*\*\*\*

### *Epigramma*

In

**MONSTRUM BICORPOR MARPURG.**  
 ut id primò conspectum subibat,


**P**Rome, quid à solito φύσις me tramite flexit,  
 Scrutator *Plini*! Terror an Error id est?  
 Nunquid differimus numero; si mente gemellæ,  
 Corpore simus idem? dic *Ariaga* mihi.  
*Theiologe*! an simplex satis est Baptisma gemellis,  
 Utrùm Nomen idem convenit, anne duo?  
 Ægrotâ *Cajâ*, medicamen sumere sanæ  
 Anne licet *Cascæ*? redde *Galene* mihi.  
 Nubere *Casca* velit, sed non sit Sponsus amicus  
*Cajæ*, quid juris *Iustiniane* dabis?  
 Neutri displiceat Sponsus sin unus & idem,  
 Num vetat incestus Conjugium fieri?



Altera lit sceleris pura, at fons altera, poena  
 Qualis, quâ peccans afficiatur, erit?  
 An Testatoris tribuetur portio duplex  
 Quois fatis est simplex cella, focus, thalamus?  
 Urectum (victus, amictus) idem?  
 Talia plura quidem maturâ morte resolvit,  
 Dirigere in laudem qui solet ista suam;  
 DORSTENII expertum sed poscunt coetera cultrum,  
 Quò structura mei clareat interior.  
 Consulite hunc reliqui, quos hæc quæsitâ fatigant,  
 Doctores Sophiæ, & Juris, & Eusebies!  
 Heu! *variè Doctis misera censebimur esse*  
*Vnum non-unum, non-gemina, gemina.*

*Conceptum ab aliquo*

## Magnalium divinor. cultore.



Quæ tibi monstrorum structuram industria monstrat,  
 Hæc pariter famæ monstrat anhela viam:  
 Monstradoces, non illa quidem, quæ robore fracta  
 Herculeô, forti procubuerunt manu:  
 Nec tumidum Enceladum, vasti qui pondere montis  
 Æstuat, & frustra territat igne Deos:  
 Cyclopasvé alios, visuvè immania monstra,  
 Centoculumque Argum, centimanumque Gygen:  
 Aut qui præterea Mavortia castra sequuti,  
 Monstrorum esse putant, non bene monstra loqui:  
 Quot dederit clades felix audacia jactant,  
 Oreque mendaci nîl nisi forte fremunt:  
 Laus ea non laus est, vanæ modò laudis imago;  
 Manat ab ingenio quæ tibi, certa manet.



Mens hominem non membra probant, fera corda bipennis,  
 Nos penna, & rigido pugna sine ense decet,  
 Telassat natura ferax, placet edere causas  
 Monstrorum, & pulsâ nocte referre diem.  
 Quid sit, ut informes monstrosâ fronte gemellos  
 Proferat illachrymans flebile mater onus :  
 Insoliti quæ causa situs, quod pectora vinclum  
 Stringat & anne ambos spiritus unus agat?  
 Interior quænam facies quovè exeat alvêo,  
 Sanguis ut assiduo flumine membra lavet?  
 Discursûs ea summa tui est : Stupuère Camœnæ  
 Ingenium, & doctis verba rotunda labris;  
 Phœbus id admirans, non te frustrabitur, inquit,  
 Hic labor, intonsum per tibi juro caput.  
 Ille dies veniet, quo te super astra repôstum  
 Et populi & constans eriget aura Patrum,  
 Illa dies veniet partum quo læta phaselus  
 Prospiciet, curis impositura modum,  
 Splendida prostabit plenis tua fama theatris,  
 Cunctorumque ruet nomen in ora tuum.  
 Effera morborum quoties te monstra tenebunt,  
 Victa cadent toties effera monstra tibi.  
 Ipsa doloriferos franget præsentia morsus,  
 Neu medicam poterunt sustinuisse manum.  
 Quâ data porta trium fugient nigra monstra sororum,  
 Lurida nam damni nîl aconita ferent.  
 An Deus an Medicus redivivi vox erit ægri,  
 En valeo, stygiis jam tumulandus aquis!  
 Vel certè Deuses, vel tanto numine digna  
 Facta facis, quidni nomine dignuseo?  
 Hi tibi vel similes consurgent undique plausus,  
 Et dabitur magni nomen habere Viri.



Perge modò, & qua te cepit via dirige gressum,  
 Spes inconcusso stet tibi fixa pede :  
 Hæc ait ; His utinam placidus subscribat Olympus,  
 Et tua ter felix Carbasæ ventus agat.

*Nobil, Dn. Resp. gratulatur*

M. H. B.

Qui præclara flores fat mente ; labora  
Florere ut quondam nominereq; queas;  
Sic DECIMAM Musam fulgoris honore revestis,  
Idque illius ades Sol merus ipse chao.

*Panca hac festinante sed amicâ manu  
abiturus apponit Amico*

H. Holsenstein.

**M**axima mortales mirantur *monstra* : maligna  
Mens monstrat multis maxima *monstra* modis.  
Multis monstrantur monstris miracula mundi :  
*Musarum miles monstra moderna* mover.

**D** Er Gorgias mag fort Epirus Wunder heissen/  
Weil seiner Mutter Sorg die erste Wieg ihm war;  
Die uns zum Leichen schickt die schwarze Todtenbaar/  
Schickt ihn zum Lebendē. \* Mein Freund will izo weisen  
Daß auch der Catten Land nicht ohne Wunder sey.  
Ich schweig : das sag' ich nur / Dis Wunder ist  
nicht neu!

\* Vid. Val. Max.  
lib. I. cap. 8. n. 5.

Welches dem Hn. Antwortenden / als seinem  
werthst. geschätzten Freunde zu Ehren/  
glückwünschend hat hinzusetzen wollen

J. Meier. Perlet. March.  
Quid



Quid monstri tua Scriptio alit? Nil tale, reponis,  
Hic alo, sed monstros exuo monstra tuis.  
In monstros sum totus ego, totusque laboro  
In monstros, monstri possit ut esse nihil.

*Pauca hac animo haud fucato Nobilissimo ac Praestantissimo Dn. Respondenti, amico suo indefesso gratulabundus apponere voluit ut debuit*

Jacobus Henricus Langius.

Conscendens cathedram Medicam, dulcissime Frater:  
Doctrinae praebeas dulcia signa tuae.  
De monstro humano horrendo haud monstrosa recenset  
Ingenii partus nobilis iste tui,  
Objectis dubiis dum talia ritè reponis,  
Solvere quae possunt retia structa tibi;  
Nec mirum, quia vel jam nuper PRINCIP E coram  
Corporis audebas dicere Temperiem.  
Apprecor, ut sanctum Numen tuae caepta secundet,  
Atque annis addat tempora Nestorea.  
Perge bonis avibus Patris vestigia calca,  
Ut Caroli crescat gloria, nomen, honos.

Φιλαδελφίας ἐν ἐκῇ

Joh. Henricus Lombardius.



MICHAEL



